



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 80. De Parochis in plures titulos dividendis actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

puram summo Pontifici proponeretur, repulsam tamen tulit, eoquod de hæresi suspectus esset: nec tamen defunt, qui affirmant, quod Pontifex ad veniam huic Præsuli indulgentiam pronum exhibuerit animum, postea tamen sive per Inquisitionis Iudices ab hoc proposito abterritus, sive aliis ex causis impulsus Legatis suis demandabat, ut Patriarchæ denuntiarent, quod non Tridenti, sed Romæ, ubi ejus causa pendebat, se sifteret, de cetero autem de plena securitate certus esset, suamque causam ad Sacrum Purpuratorum Collegium in publico Senatu congregatum devolvendam sciret. Priusquam Legati hæc Pontificis jussa acceperant, jam desuper summo Pontifici literas dabant, ipsique Patriarchæ significabant, quod Papæ jurisdictioni hac in causa nullatenus derogare vellent: insuper eidem Patriarchæ per suum Coadjutorem proponi curabant, quod Tridentum venire differret: Verum hac in causa, quid amplius fuisse motum haud constat.

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

§. LXXX.

De Parochiis in plures titulos dividendis actum.

Interea continuato fervore Congregationes habebantur usque ad proxima-
mam

Sarpinus
p. 481.

Sæcul. XVI.
A.C 1562.

mam Sessionem, quæ ad decimam quartam Maji diem erat indicta: porro in conventu die vigesima sexta Aprilis habito examinabatur articulus quintus de amplioribus Parochiis, ad quarum administrationem plures requiruntur Sacerdotes, qua in re movebatur quæstio, an Episcopus horum Sacerdotum munia in titulos commutare valeat? equidem Præfules ita sentiebant: „quando unum „templum populo, non vero unus Rector „sufficit, tunc tituli non sunt multiplicandi, cum tunc, si in una Ecclesia „plures existerent Parochi, ibi plurimorum ferrentur dissensiones, & opinionum dissidia: hinc ab Episcopo cogendus est Parochus, ut assumat sibi „tot in subsidium Sacerdotes, quot Ecclesie necessitas requirit: ubi vero „incolarum, ædificiorumque multitudo „divisionem postulat, tum Episcopo permittatur novam Ecclesiam parochialem erigere, tam populi, quam reddituum facta divisione, aut certe populus ad redditus idoneos Parochus constituturus pecuniam contribuere adigatur., Ultimam sententiæ hujus clausulam Eustachius Bellajus Parisiensis Episcopus, qui Tridentum ante paucos dies venerat, minime probabat, cum in Gallia nullum vigorem esset obtentu-

tura: hinc idem sic inquiebat: „nul-
 „lum Sacro Ordini in Laicos imperium
 „in temporalibus conceditur: mihi vero
 „e dignitate Concilii Oecumenici non
 „videtur decreta condere, quæ ex ulla
 „Christiani Orbis provincia merito fo-
 „rent eliminanda.„ Huic respondit
 Franciscus Thomas Casellus Episcopus
 Cavenfis: „nesciunt Galli, quod ea po-
 „testas a Christo, & Divo Paulo Con-
 „cilio data fuerit, nam ab iis populo
 „præceptum legitur, ut victum suppe-
 „ditet iis, qui ipsi spiritualia ministrant:
 „hinc Galli, dummodo Christiani esse
 „volunt, præcepto huic parere debent:
 „Ad hæc Bellajus Parisiensis replica-
 „bat: ego hæc intellexi, quod a
 „Christo, Divoque Paulo Evangelii Mi-
 „nistris concedatur victum ab eo, qui
 „sua sponte eum largitur, jus accipiendi,
 „non autem illum adigendi, ut largia-
 „tur: neque dubito, quin Galli per-
 „petuo velint esse Christiani: de cetero
 „autem nolo altercari, aut rem ulterius
 „urgere.„ Porro Synodica hu-
 „jus articuli decisio in Sessionis vigesi-
 „mæ primæ capite quarto de Reforma-
 „tione refertur.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.